

riffima Eulalia. Videre mihi solito formosior.
Eu. Itane statim me scommate excipis? *Xa.*
 Non profecto; sed ita mihi videris. *Eu.* For-
 tasse nova vestis commendat formam. *Xa.* Re-
 cte coniectas. Nihil jam diu vidi elegantius.
 Suspikor pannum esse Britannicum. *Eu.* Lana
 Britannica est, tinctura Veneta. *Xa.* Molli-
 ties byssum superat. Quam vero blandus pur-
 puræ color! Unde tibi tam egregium munus?
Eu. Unde decet honestas matronas accipere,
 nisi à maritis suis? *Xa.* O te felicem, cui talis
 contigit sponsus! At ego vellem me nupsisse
 * fungo, cum meo nuberem Nicolao. *E.* Quid
 ita, quæso te? tam cito male convenit inter
 vos? *Xa.* Nec unquam convenit cum tali. Vides
 quam sim pannosa; sic patitur uxorem suam
 incedere: dispeream, nisi sæpe pudet me pro-
 dire in publicum, cum video quam cultæ sint
 aliæ, quæ multo pauperioribus nupsere mari-
 tis. *Eu.* Matronarum ornatus non est in vesti-
 bus, aut reliquo corporis cultu, quemadmo-
 dum docet divus Petrus Apostolus, (nam id
 audivi nuper in concione,) sed in castis ac pu-
 dicis moribus, & in ornamentis animi. Mere-
 trices coluntur oculis multorum. Nos satis cul-
 tæ sumus, si placeamus uni marito. *Xa.* Sed
 interim ille bonus vir, tam in uxorem parcus,
 strenue prodigit dotem, quam ex me non me-
 diocrem accepit. *Eu.* Quibus rebus? *Xa.* Quibus
 ipsi visum fuerit, vino, scortis, alea. *Eu.* Bo-
 na verba. *Xa.* Atqui sic res habet. Deinde
 cum mihi temulentus ad multam noctem re-

N 6

dit

Fungo] Fungos, appellamus homines stultos ac
 nihili.